Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 653
Quelle:
Copyright:

quam reliqua, quae legere eſt apud *Vallarſium* T. XI. *Opp. Hieronymi col.* 114. ubi Opuſculum ipſum inter Νοθοι comparet. At vero quam varium a *Codice*, quam contractius, quam ex eo perficiendum! Non eſt inſtituti mei, Tractatus integros perſequi et elimare; dabo tamen operam, ut pronuntiato fides ſit. Initium eſt: *Sufficere quidem fidei tuę arbitror ad* (quod omittunt Edita) *conuerſationem ſanctam, quam habes in chriſto ihesu ad ſacerdotalis nominis* (Edit. ordinis) *dignitatem* &c. Mox Codex: *quia et legis opera compleuiſti* pro *qui — imples; feſtinas, et exiſtentibus*, pro *feſtinanter exiſtentibus; ordinem locumque* pro *doctrinæ ordinem locumque; amplius quod requiras* pro *amplius quod quaeras; ac ſic falſi* pro *ac ſi falſi; ſacramenta neſcieris* pro *ſacramenta neſcires; implere feſtines* pro *implere feſtinans; confuſione ſeculari reiecta* pro *confuſione rejecta; abiectus eſſe hominibus magis* pro *abjectus eſſe magis*. Proxime a verbis: *in tabernaculis peccatorum*, 17. lineae Codicis ab Editione abſunt, et paullo poſt a verbis: *Templum enim Dei ſanctum eſt, quod eſtis vos*, rurſum 12. lineae, et ſic non raro deinceps, ut adeo, ſi unquam de reſtituendo hoc Opuſculo cogitaretur, omnium loco hic Codex conſulendus foret.

II. *fol.* 19. elegante Sec. XII. manu *Incipit Romanus Ordo*. Ita quidem: *Presbiter cum ſe parat ad Miſſam iuxta romanam conſuetudinem* &c. Habemus igitur *Micrologum Vol.* I. P. 3. a *col.* 2849. non ſemel relatum, atque hic in *Capita* LXI. tributum, integrum tamen, ut e contentione cum Edito T. XVIII. *Bibl. PP. Lugd.* p. 472. didici, niſi, quod *Caput* XXIII. quod ibi inſignitur: *Brevis Deſcriptio celebrandæ Miſſæ*, non agnoſcit, quodque re ipſa tardius intruſum videri poteſt. Textus parum variat ab Editis; notabilem tamen reperi diſcrepantiam initii C. nobis XXXII. Edit. XXXIII. quam adpono:

Codex	Editio
Sciendum autem in antiquis antiphonariis ante natalem domini non niſi VII. officia continuari. videlicet uacantis dominicę et V. feriarum atque vigilie. Unde et continuatim &c.	*Sciendum itaque eſt, quod prædicta officia non ſunt jejunii, ſed Dominicæ et quinque feriarum ac vigiliæ, unde et annuatim &c.*

Poſt Editorum finem: *cum V. millibus hominum ſaturari mereamur;* alia ſed aeque vetuſta manu accedunt III. illa *Capita*, quae *l. cit. Cod.* DCCLXXXIX. adhaerere dixi de Numero *Dominicarum Adventus*, et de *Concambio Communionum* in Feſto S. *Andreae*. Capitum tam

Elen-